DEO OPT. MAX. VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LUCÆ; ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA AGITANDA

IN PUBLICIS MEDICORUM SCHOLIS CELEBERRIMÆ ACADEMIÆ CADOMENSIS,

PRO LICENTIATUS GRADU CONSEQUENDO,

M. PETRO ANGO, DOCTORE MEDICO ET PROFESSORE REGIO, PRÆSIDE.

An soli sanorum plethoræ venæ sectio? 45

SANGUINEM incisâ venâ mitti novum non est, sed nullum pene esse morbum, in quo non mittatur; novum est; hæc erat olim Celsi opinio. Nunc verò morbum esse aliquem, in quo mittatur, novum & inusitatum est. Iis solis, qui plenitudine athleticâ vigent sani, concedunt illud præsidii genus quidam è Neotericis, quos inter eminet Lucas Tozzi; & ipsis ægris athleticâ plenitudine laborantibus venæ sectionem denegant. Quod doctrinæ vitium in nostros etiam hujus ætatis Medicos manavit; ex quibus, qui negotiosâ pollent sapientiâ, toti sunt in specificis quærendis, & remediis singularibus, toti in pulveribus multos ignes passis, & longè ex Arabiâ petitis. Sed hæc minora. Universale venditant remedium, spiritum vitæ in ampullâ conclusum ostentant omni ætati, omni tempore commodum, naturæ robur addentem. An dari possit? lis est. Facilè negando dissolvitur. Omnes unanimi consensu non in vim morbi, sed in sanguinem missum interitûs causam rejiciunt. Peccatum in eo sæpè est, quòd non satis mittatur; quàm enim tutò, & sine ullâ commotione humores in vasis contenti venâ sectâ educuntur! Quot & quanta in ægros commoda ex spontaneis sanguinis excretionibus redundent, cæcus est, qui neget. Insanus, qui naturam non imitatus fuerit ducem. Ægræ mulieres ab innumeris affectibus per menstruas purgationes liberantur: viri, hæmorrhoidum fluxum ad gravissimorum morborum curationem experiuntur: juvenes sanguine è naribus profluente febribus solvuntur. Quod sponte factum feliciter evenisse visum est, id arte tentare abhortebis, hæmophobe? Si sanguinis parcus reprehendendus, ita & prodigus, qui vel in levissimis affectibus effrænatâ mittendi licentiâ factum satis esse non putet, priusquam vasa sanguine exhauserit. In omnium remediorum administratione certi sunt & præfiniti modi; & quò remedii genus majus est, eò majorem postulat in ejus præscribendâ quantitate animadversionem.

CUM inæqualis est sanguinis ad vasa commensus, cùm injusta & dissentanea ad alveum, quem decurrit; proportio; tunc sanguis fibras distendit, & gravat nitendo, exitiumque minatur, qui sive purus, sive impurus, haud cunctanter est eximendus. Plethora ad vires gravitate corporis cognoscitur; in eâ plus est sanguinis, quàm à corde & à menyngibus trudi possit, & à minutioribus vasis repelli; vim ipsorum elateri sanguis fecit tantam, ut resilire nequeant: exonerato per venam sectam vase resilit elater, minor fit partium sanguinis pressio, minor ad fibras nisus, redit naturalis ab arteriis in venas itus & reditus. Orgasmo sanguinis debetur venæ sectio; hâc præcaventur immanes hæmorrhagiæ, inflammationes arcentur, deliria, vigiliæ, molestæ præcordiorum anxietates: hâc reducitur massa sanguinis ebulliens ad eam motûs mediocritatem, quæ ad *depurationem* prærequiritur, & ad secretionem materiæ peccantis suo tempore peragendam. Morbi magnitudo sola non est unum sanguinis mittendi indicium; sanguinis corruptio & putredo nunquam missionem postulat *eradicativam*. In summâ plenitudine copiosior sit prima venæ sectio; initio siquidem dimoventur & abripiuntur molliores particulæ capillaribus inhærentes; particulæ illæ resorptæ novam inducerent in vasis plenitudinem. Inane non est ventilationis nomen, non potest enim educi sanguis, quin in illius locum aër sufficiatur; ille enim pellit aëra, hic circulo facto, quò minùs resistitur, intra granula sanguinea majore se miscet copiâ, eumque novo afficit motu, quo removentur corpuscula interioribus poris cutis insidentia; hinc transpiratio fit liberior, quod est summum è venâ sectâ præsidium. Si quando fibræ tensæ nimis & crispatæ secretionem retardarint, venæ sectione laxitas solidis & fluidis consiliatur ea, quâ humores per internicula faciliùs promoveantur.

VETERES latuisse sanguinis circuitum, jure, an injuriâ, exprobrant Neoterici: illi ex ignoto majus emolumentum ad afflictorum salutem perceperunt; hi ex noto circuitu solam artis ostentationem. Veteres perinde ac si structuram vasorum, & motum sanguinis novissent, triplicem sanguinis missionem ritè instituêre, *evacuatoriam*, *revulsoriam*, & *derivatoriam*, ex diversis mittendi locis. Cùm morbus in toto corpore, & per vasa omnia sanguinis fusus est, quam partem seces, quam venam incidas, parvi refert. Moles enim citatur undecunque imminuta, modò ne ultra modum. Citatâ mole, hoc ipso vortex sanguinis quisque liberior, quem itu & reditu definias. Hanc sanguinis missionem cum Veteribus voces evacuatoriam; at si morbus, puta in latere dextro, axillam inter & humerum accendatur; si sanguis stagnationi proximus inflammationem jamjam parituras sit, hæc erat Veterum prudentia, ut circa partem affectam, & causam antecedentem, humorum impetum, fluxum, & multitudinem semper attenti, illapsurum sanguinem in partem diversam, & oppositam revellerent; demptâ verò plenitudine, & moderato fluxu, humorem parti insidentem, vicino vase inciso, deducerent. Nihil porrò prudentius, nihil sanguini circumeunti, & mechanicæ legibus convenientius. Irrident novi; sed risûs causam requirimus. Nam quæcunque vena secetur, saltem per totum tempus, quo sanguis mittitur, uberior rivus per omnes arteriæ ramos, à quibus vena secta recipit sanguinem, derivatur; sive quia brevius est iter, minùsque decurritur spatii; sive quia sanguis præcedens desinit esse impedimento subsequenti; sive utrâque de causâ. Age porrò sanguis etiam naturali quantitate fluens, partem affectam trajicere non potest, sed ibi moratur, & calorem concipit morbificum; quid ergo? sectâ venâ ejusdem lateris, cùm magis affluet sanguis per arteriam, in partium substantiam affundetur ille, inflammationem & dolorem aucturus. Non irridendi igitur, qui venam lateris oppositi incidendam curant, ut, factâ aliorsum determinatione, major huc deducatur sanguinis copia; minor verò in partem affectam: hâc arte sanguis subducitur parti dolenti, dum majorem fundit sanguinis copiam in cordis dextrum ventriculum, & minorem à sinistro recipit, si ad latus sectum conferas: tunc inflammationis auctor faciliùs in venas deponitur, & pars suâ sarcinâ sublevatur, dolorque mitescit. Est tamen ut aliquando ægros non plethoricos missio sanguinis ex affecto latere prodigii instar subitò restituat; nam subitò auctâ velocitate sanguinis in parte affectâ, rumpuntur obices, abripiturque morbosa materia. Sicque lis Arabum inter & Græcorum Scholas facilè componitur; illis asserentibus mittendum esse sanguinem è sano latere, his contrà è dolente.

REVULSIO alia fit in parte distanti, alia in distantissimâ, ut in pede; hanc pro illâ adhibere non semper licet. Quid enim si fortè mulieris vegetæ menses cursum suum supprimant, in caput rapiantur, copiâque intempestivâ Meninges distendant; premant, quam pressionem vomitus immanes subsequuntur, saphœnam non secabis? Vacuatione naturali denegata, artificialem non substitues? Nihil urgentius quam sanguinis motum ad superiora, revulsione ad inferiora corrigere. Quid si mulieres hystericæ solito paroxysmo, & pleuritide laborent? Quid si subitò cessante thoracicarum partium inflammatione, rapiatur humor ad cerebrum, lethalem, saphœnâ sectâ, non præcavebis phrenitidem? In revulsione venæ sectæ digitum identidem superponit Chirurgus; aliquantum enim tempus requiritur ad æquandum hinc inde sanguinis libramentum. Quò vortex sanguinis magis laborat aut copiâ, aut impetu, aut stagnatione in pulmonibus, eò magis profundatur. Quid enim unciæ aliquot pares-ne erunt levando pulmonis vortici in peripneumoniâ, qui viginti sanguinis libras plus centies in die convehit? In particulari cerebri plenitudine, si extra præscriptos limites feratur sanguis, tundatur jugularis; sanguis in carotidibus velociùs fluet; obices secum ducet oppositos. Sanguinis è naribus stillicidium perniciem minatur, nisi vena secetur, quæ compressionem in vasis, & phrenitidem præcavet. Quibuslibet in morbis, cùm putredo accedit humorum plenitudini, cùm imminet stagnatio, aut partium interiorum ad inflammationem dispositio, sanguis ineunte morbo mittendus: plures internis inflammationibus pereunt, quàm morbi malignitate. Nec te à venæ sectione deterreat, quòd sanguis viscosus sit, quòd concretioni proximus. Quis nescit in subito timore, & tristitiâ, in quibus imminet præsens suffocationis periculum, vitam esse redditam, administratâ venæ sectione, cujus ope sanguis & spiritus in visceribus collecti explicantur, & ab illis revelluntur? Error est per moderatam phlebotomiam, humores ad interiora retrahi, & ad viscera revocari: contrarium evincit determinatio sanguinis intrò foras. In pari & æquâ venæ sectionis, & purgationis necessitate, præferenda venæ sectio; detractum sanguinem sequitur humorum motio placidissima, fluxile redditur corpus, viæque laxiores sinunt humores cathartico effluere. Hos omnes mittendi scopos non capit hæmophobus; sanguis enim vitæ thesaurus est, exclamat; sed thesaurum aliquando imminuere juvat, ut vitam redimas.

NULLO non morbi tempore mitti potest sanguis, verùm quò maturiùs, eò meliùs. Nulla tamen cruditatis suspicio remaneat, modò res concoctionem omnem expectet. Inconsultus Arabum Princeps à phlebotomiâ initio morbi abstinet, quòd noxios humores exagitet; solam autem demit multitudinem, quæ putredinem augeret: inconsideratè phlebotomiam sub morbi statum differendam esse asserit. Cùm morbi inchoant, si quid movendum videtur, movet; cùm vigent, quietem præcipit Hippocrates. Morborum violentiâ ægri viribus destituuntur priùs, quàm statum & augmentum præterierint. Quibus in morbis motus sunt celeres, moresque feri, cunctatio ad secandum periculosa. Vigente morbo, si inflammatio vigeat interna, si symptomata ingravescant, nulla spes est sine sanguinis detractione: si res aliter ceciderit, totum opus naturæ est commitendum. Ut universalium temporum, ita & particularium, quibus morbi recurrunt, delectus habendus. Expectanda semper paroxysmorum remissio, vel intermissio, quæ si non sperentur, secandi occasio non est prætermittenda. Nihil æquè Artem Medicam conjecturalem in agendo efficit, uti cujusque remedii quantitas. Purgandum, alendum, movendum, secandum quantùm satis: meta hæc mulierculæ perinde ac artifici nota, seu potiùs ignota; quæritur enim punctum illud, quantum satis futurum sit. Non mittes sanguinem usque ad mutatum fluentis colorem: periculi res est plena, immutati coloris expectatio. Mittere sanguinem ad animi usque deliquium, scopus est maximè incertus & periculosus: hinc enim pusillanimes vel ab ictâ venâ animo linquuntur; inde verò viri fortes lethalem, priusquam animo concidant, patiuntur evacuationem, quam syncope, & proxima mors consequitur. Amplam sanguinis ad cor refluentis subductionem, quam refrigeratio comitatur, vel etiam in ardentissimis febribus ætate florente perhorrescimus, licet minor sanguinis effervescentia sequatur. Solemni Hippocratis jurejurando nos dubia & periculosa quæque vitaturos promisimus; satius est missionem sanguinis, quæ ad morbi curationem necessaria fuerit, partiri, quàm uno ictu totum profundere: constantior & tutior scopus à viribus ægrotantis desumitur, à vitâ antè actâ, à patientis habitu, à morbo, cæterisque id genus; nam in secandâ venâ, non secus ac in dijudicandis litibus, facti, quàm juris quæstio sæpè fit obscurior, inquit Fernelius. Virium semper maxima habenda ratio, sed à languidis oppressæ sunt distinguendæ; quò major virium oppressio, eò felicior sanguinis distractio; fluente sanguine impeditæ vires expediuntur. Motus sanguinis tardiùs in vasis se moventis acceleratur. Parcendum pueris, senibus, & gravidis, nisi jubeat necessitas. Ignaro & timido in solâ sanorum plethorâ sanguinem mittere expeditissimum est; usum habenti, & secum omnia circumspicienti in morbis difficillimum; attamen concludimus,

Non ergo soli sanorum plethoræ venæ sectio.

Has Theses proponebat FRANCISCUS CAROLUS DESPAIGNE, *Pontodomaræus, Baccalaureus Medicus, die Sabbathi 3. Novembris, A. R. S. H. M. DCCXIV. ab hora 8. ad meridiem.*



CADOMI, Apud ANTONIUM CAVELIER, Regis, & Academiæ Typographum.